

OBITVM
PETRI COSTAE

MINISTRI V. D.
ECCLESIAE FRANC. REFORM.
LIPS.

VIRI PRAESTANTISSIMI

LVGET
CHRISTIANVS GOTTLOB HEYNIUS.

LIPSIÆ
EX OFFICINA BREITKOPFII
MDCCCXL



ORITAN

PETRI COSTAE

MINISTERIUM
ECCLESIAE ET SCHOLARUM

VIRI PRAGMATICI

CHRISTIANUS HOFFMANN

LEIPZIG
1777



Fas mihi sit, sancti Manes, suprema sepulchro
Munera et inferias rite parare nouo.
Non fero purpureas violas, non veris honorem,
Textam inter niueo lilia flore rosam:
Non ego lac tepidum et vergam spumantia musta;
At mites lacrymas pallido ab ore dabo.
Carmen praecipue numeris miserabile moestis,
Et paruos elegos, tristia dona, feram.
Stet licet attonitae similis, percussa dolore
Ingenti, officio Musa nec apta suo:
Exciderit que manu languentis mobile plectrum,
Et pigeat numeris iungere verba suis:
Ipse tamen, Pietas que feret sua munera mecum.
Ingenium faciet vel dolor ipse mihi.

Sic pulchre potero dulci indulgere dolori,
Lenta moerorem sic que fouere mora.
Non etenim lacrymas durus quisquam increpet illas;
Questibus aut istis damna minora putet.
Flet mecum, atque sibi doctorem luget adentum
Turba pia, et luctu flebilis ipsa suo,
Ereptumque sibi clamat sanctumque parentem,
Et patre si quicquam sanctius esse potest.
Non tam carus erat, non tam descendus obibat
Discipulis Samii gloria tanta foli.
Attonitus quemque inuasit stupor, vt, Fuit, cheu,
Costa fuit, volucris fama per ora tulit.
Extremum trepidant pallentia visere membra;
Et visum non sic ora videnda ruunt.
Turba frequens positum stat circum corpus inane,
Ad cari vt nati funera acerba patris;
Nec lacrymas gemitusque tenent moestasque querelas:
Et fletu resonat, qua patet, ampla domus.
Tam citus, heu, miseros relinquis? tam cito nostros
Excedis coetus, nilque morare Tuos?
Non haec fat forti poteramus pectore ferre
Praecepta atque animo damna agitata diu:
Quid? veniat cum tanta repens inopinaque clades;
Quod non praeuisum est, facius omne malum.
At Tibi nec solito languentia ponere lecto
Corpora contigerat, composito que mori.

Nec nostros tumido rumpentes lumine fletus,
Oraque vidisti pallidiora Tuis.
Nec Tua vicina iamiam torpentia morte
Fouimus et lento frigida membra gelu.
Ultima nec dicta ab moribundo excepimus ore,
Et quae mandati verba daturus eras.
Fingere nec potuit, nec cum clamore supremo
Labentes oculos claudere nostra manus.
Quae modo sancta tui sacunde oracula Iouae
Promebas, nullo stas, pigra lingua, sono.
Quod modo Cecropii manabat flumine mellis,
Os hiat, et lentum, morte premente, tacet.
Heu, ubi sunt mites vultus lumenque modestum?
Aeterna clausum nocte tenetur iners.
Non igitur post hac linguae praecepta diserae
Imbibere intentra protenus auredatur?
Quod licet et fas est, Tua semper oberret imago
Nostro animo, et semper sit Tua fama recens.
Haec postquam ad reliquos luctus contagio serpsit,
Nullus in hoc habuit lumina sicca die.
Publicus ille fuit luctus, vox publica et illa:
Hic feros annos vivere dignus erat.
Atque aliquis tam lene sibi natis que precatur
Leti, et tam vacuum speque metuque, genus.
Nonnisi, Mors, inquit, quos Numen amauerit aequum,
Sic certa intorquet foris rela manu.

Sunt, quibus illa parum tenso mittuntur ab arcu;
Vix fummam stringunt spicula lenta cutem.
Pectoris his dirum perlabitur intima virus
Sensim, et sub venas imaque ad ossa furit.
Hi lenta miseri liquefactis tabe medullis
Soluuntur: Sua bis pars éa fata subit.
Heu, quoties istis immitis porta sepulchri
Pulsatur: fero tempore at illa patet.
His sua vota mori: sunt his sua vota perisse,
Et tandem in cymba ponere posse pedem.
Quod reliqui exhorrent, hi frustra in vota vocarunt.
Heu! tam dira quibus vota relicta manent.
Felix, qui potuit placida decedere morre,
Quique videt stygias et simul intrat aquas.
Interea Vmbra subit laetos sanctissima campos,
Et noua miratur, quae terit, ipsa, loca.
Nobilium quicquid sedes circa incolit istas
Vmbrarum, heu, ingens obuia turba ruit;
Quos pulchra ingenii, quos doctae gloria mentis
Ista per obscuras arua iacere vetat.
(Namque vt quisque animum magis ac magis arte poliuit
Ingenua, et vitiis pectora pura gerit:
Huic alii assurgunt, magis huic sincera voluptas,
Et luci potior pars habitanda datur.)
Hi magno strepitu deducunt, et sua regna
Et sedes tacitas velle subire rogant.

Tranquilla, haec per rura, et tuta silentia regnant:
Rura virens cespes, mollis et herba tegit.
Dulcisonus gelidis riuus sub vallibus errat,
Ad que sua assidua littora voce vocat.
Fronde sub vmbrosa turba ingeniosa piorum
Hic fedit, et posita est quaestio saepe vetus.
Quae frustra ingenii collectis viribus olim
Quaesierant, subeunt hic ea sponte sua.
Hic cuius facile est causas tibi dicere mundi,
In sua quo redeant semina quaeque modo.
Et quare alterno^o subsidunt aequora motu,
Et recidua suo tempore turgēt aqua.
Vnde comae stellis: Magnes cur vertit ad Arcton:
Et soli aduersas adbibit arcus aquas.
Felices non, si ne animae caelestis origo,
Quaerunt, materies an tenuata suae.
Hoc in consessu Neutroni nobilis vmbra,
Quem quondam, seruat nunc quoque prima locum.
Ingens Leibnitii tenui quoque pectus in vmbra est.
Magnos mirantur mundus vterque viros.
His contra accumbit follers sapientia Locki,
Scrutatur que animae nunc quoque sensa suae.
Hi medium accipiunt, cupidi dum plurima quaerunt;
Curam adeo haud omnem diluit haustus aquae.
Hic recubat, veteres strepitus et inania vitae
Ridet, quaeque homines ducere summa solent.

I nunc, persequere haec ingenti funera luctu:
Hunc sibi tam paruo tanta parasse piget?
Quin Te felicem, quin Te, sancta Vmbra, beatam
Dicimus. Heu, fletus moestaue verba cadant.
Haud tamen vlla dies animis Te tollere nostris,
Nec poterit nomen subtrahere vlla Tuum.
Viuacem licet ad famam nil ista requiras;
Ventofo et titulo, marmore nec sit opus.
Est breue et his acuum: multo maiora libelli
Et diuturna magis sunt monumenta Tui.
His viues: hi, quos fatum subtraxit auarum
Annos, hi soli tempora longa dabunt.



OBITVM
PETRI COSTAE

MINISTRI V. D.
ECCLESIAE FRANC. REFORM.
LIPS.

VIRI PRAESTANTISSIMI

LVGET
CHRISTIANVS GOTTLOB HEYNIUS.

LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA
MDCCC LI.

